

DE REGULA
 F. RAYMON
 DVS DE PO
 DIO
 In nomine Dni
 Amen.
 Ego R. quondam
 seruus pauperum
 d. h. hospitalis

Hospitalitas caritas
 de Civitate capitali
 fundavit in anno
 hoc in anno Nat
 pitatis Sany
 Iamne Bay
 ritur
 Hierusalem.

STATUTA HOSPITALIS IERUSALEM

DECOREM ET FORTITVDINEM DOMINI.



FRIS. P TOLEMEI VELTRONII
 Clamet Olympus oians, gaudens Ecclesia iactet
 Felicem SIXTVM perpetuumq; patrem.
 Hugo potens capiat xpi Feliciter arma,
 Et SIXTO auspicijs Turcica regna domet.
 Felix nostra dies claro quoq; digna Triumpho:
 olim Romulidum, nunc sacer orbis honos.
 Siste dies duce sub SIXTO, tu Gloria sisbe
 Persistatq; orbi Gloria, fama, Decus



Hac tabula expressa ad vivum est Hugonis imago,
 Adspice, Mars toto spirat in ore ferox
 Quæris adhuc mentem? Verum, quam reddere Pictor
 Non potuit, mentem reddidit Hugo suam.
 Namq; graves Equitum quando compercit iras,
 Tunc animi expressit invidæ signa sui.
 Quæris adhuc dextram? sed Principis inclita bello
 Dextera, Pictoris fingier artè nequæ.
 Armata Pictor his nîsus fingere dextram,
 Pictori attonitæ his cecidere manus.
 Attamen hic Pictor quas suppressit, auspice Sixto
 In Solymos proprias exprimet Hugo manus.

ILLVSTRISSIMO AC REVEREN.^{MO}

D. FRATRI VGONI DE LOVBENX VERDALA

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

Ac Ord. S. Ioan. Hierosol. Magno Magistro,
Principi ac Domino suo Clementis.



*Ioannes Baptista Rondinellus eiusdem Ordinis apud Sanctam
Sedem Apostolicam Orator S. P. D.*



VM vile semper fuit, & ad diurnitatem firmum
Concilijs hominum, & cœtibus iure sociatis præesse
aliquē, qui aliud nihil spectet, nisi incolumitatem Ci-
uium & gloriam: tum rarum maximè, ac difficile est
habitum, è multis reperiri vnum, qui Principis obire
munus atque exercere officium pro dignitate possit.
Ut si quis talis vnquam existat, ille verò non è quoli-
bet genere hominum, sed è singulari potius censeatur, ac propè diuino.
Quod probè nouit & intellexit Ordo noster fortissimus, cum tibi è tam
multis viris, quos veluti flores nobilitatis ac virtutis ex vniuerso Christia-
no Orbe collectos atque illibatos habet, nempè excellentissimo istoque
honore, ac Magistratu dignissimo detulit principatum: conijciebat enim,
atque adèd prospiciebat fore, vt te Magistro ac Præsìde, non præsentem
modo splendorem tueretur suum, sed augetet etiam in posterum, & face-
ret ampliorem. Nec sanè eum aut fefellit opinio, aut decepit euentus. Tu
enim ex quo tempore incredibili nostrorum omnium consensione ac læ-
titia euectus es ad nostri Imperij gubernacula, in eam tantum cupiditatē
incumbis & studium, rem vt nostram publicam, non ab externis modò pe-
riculis, sed ab internis etiam, idest ab ijs qui emergere aliquando possent
corruptis moribus, & disciplina laxiore, tutam liberamq; conserues. Itaq;
cum æternos illos hostes Christiani nominis, & multò magis Militiæ no-
stræ, quam sibi aduersariam timent maximè, ac propterea acerbissimis
odijs insectantur, nostrorum firmissimo virorum robore & virium; tuoq;
consilio, sic represseris, vt Melitensium fulgorem armorum victricisque
aspectum Insulæ, non secus ac timidæ oues frementem, & oculis (vt dici-

tur)




tur)micantem lupum (prisca illa tuæ gentis insignia) perhorrescant. Proxi-
mum illud fuit, vt sodalitatem nostram, prudentissimis quibusdam, & op-
timis custodires legibus atque institutis: non quidem quòd legibus care-
ret illa, quibus plurimis astringitur, & antiquissimis; sed quòd, quemad-
modum aduersus nouos corporis morbos, noua excogitantur remedia,
ita etiam aduersus nouas cupiditates animorum, quæ possent interdum,
(vt est natura hominum) existere cum incommodo Rerump. alias identi-
dem atque alias ferri oportet leges, quæ vel ijs cupiditatibus faciant mo-
dum exortis, vel nascentibus occurrant. Ita ex veteri illo & magno nostra-
rum legum, ac decretorum volumine, amputatis nonnullis & circuncisis,
quæ minus necessaria videbantur, obscuris lucem, obsoletis nitorem, am-
biguis enodationem, explicationem incertis, vetustis nouitatem, auctori-
tatem nouis, omnibus ordinem, ordini denique suo omnia dedisti. Quod
quidem opus tam concinnum atque vtile cum ad me miseris iam dudum,
vt illud pro muneris nostri ratione, sanctæ sedis Apostolicæ approbatione
muniendum, ac mandandum typis curarem: perfeci vtrunque quàm po-
tui diligentissimè. Volui enim hac etiam in re, vt in cæteris alijs, apparere
perpetuam meam tibi obtemperandi volûtatem. Sanctissimus siquidem
Sixtus V. pro sua erga personam tuam vniuersumque ordinem nostrum
beneuolentia, oblatum à me librum perbenignè suscipiens, ac vehemen-
ter legum ipsarum candore delectatus, sua illum, & sacrosanctæ sedis Apo-
stolicæ auctoritate roborauit. Ego verò postea id egi, & dedi operam, vt
ornatu, quantum in me fuit, peregregio, & cultu magnifico in lucem ede-
retur. Quod ipsum declarant, tum illustrissimorum qui tibi in isto Magi-
stratu præcesserunt Principum effigies, tum imagines quæ singulis præfi-
xæ titulis, illis pro portione respondent, tum etiam purissimo ex aëre can-
dentis circuli signum, quo Sol veluti corona cinctus, ac redimitus videtur:
quod videlicet Iacobus Bosius, veluti argumentum tuum, & Militum no-
stri ordinis magno ingenio artificioque confecit, & seorsum in volumine
eam ad rem accommodato subtiliter euoluit. Quibus ex causis effectum
est, vt librum dum ita ornatur atque expolitur, vt vides, ferius remiserim
quàm voluissem: quem tamen ipsum non dubito quin hilari fronte beni-
gnaque suscipias: Cum hanc tibi quasi normam & regulam præscripseris
iustitiæ exercendæ. Iustitia enim legis finis est, lex Principis opus, Princeps
autem imago omnia regentis ac moderantis Dei, quem rogo suppliciter
atque oro, vt te perquam diù, annorum videlicet honorem & togæ, & Me-
litenfi Militiæ, & Christianæ etiam Reipub. saluum incolumemque tueatur.
Vale.

DECOREM INDVTVS EST



Purpureum Hugoni tradis dum, Sixte, galerum,
Floreat ut sparso sanguine sancta fides,
Hugonis tunc Roma lupos ut uidit auitos,
Commissum ut geminis uidit ouile lupis,
Risit, et, ô, dixit quæ me noua gaudia tentant!
Ecce lupos abigent ex oriente lupi.
Infantem ut nutrix aluit lupa Martia Romam,
Sic his Romanum crescet ouile lupis.




ANGELORVM PRÆCES.

*Suscipe sancte Pater tuæ gaudia nostræ
Milibus dona premia digna tuis*

RESPONSVM.

*Qui vitam posuere suam pro nomine Christi
Vobiscum merito premia tanta gerant*



DE REGVLA

TITVLVS PRIMVS.



REGVLA HOSPITALARIORVM

& Militia Ordinis sancti Joannis Baptista
Hierosolymitani.

F. RAYMVNDVS DE PODIO MAGISTER.



Nomine Domini, Amen. Ego Raymundus Seruus pauperum Christi, & Hospitalis Hierusalem Custos, de Concilio Capituli fratrum instituo hæc in domo Hospitalis sancti Joannis Baptista Hierusalem. Præcipio enim quòd omnes fratres accedentes ad obsequium pauperum, & tuitionem fidei Catholicæ teneant, & cum diuino præsidio seruent tria, quæ promissa sunt Deo, videlicet castitatem, obedientiam: hoc est, quòd adimplebunt, quicquid eis erit iniunctum à suo Magistro: atque

viuere sine proprio: quoniam Deus requiret hæc tria ab eis in ultimo iudicio.

EXERCITIVM MILITIAE

pro Christo.

CONSVETVDO.



ORDO noster ab eius primæua institutione Sacro sanctæ Sedis Apostolicæ, Catholicorumq. Regum, Principum, & deuotorum Christicolarum munificentia, suffragio, fauore prædijs, possessionibus, ditionibus gratijs, priuilegijs, immunitatibus dotatus, auctus, ampliatus, ditatus est: vt vera charitate virtutum matre, firmaq. basi intenti milites ordinem professi, sanctæ Hospitalitati dei militiam adiungerent, cumlarent, copularent, dupliciq. fungentes officio & exercitio, gestis virtuosis sese dicarent. Peculiare certe, & proprium est Christi militibus (non postpositis sacre Hospitalitatis sanctis operibus) pro Christi nomine, pro cultu diuino, pro fide catholica pugnare, iustitiam colere, reuereri, tueri, oppressos fouere, subleuare, defendere. Ad hoc enim Hospitalarij milites, Christi hospitalitatem & militiam exercentes, exteriori veste signum crucis

I.

III

III

V


INDVIMINI NOVVM HOMINEM
VT CVM HOC AVT IN HOC.



ACCIPITE SORORES CRUCEM DOMINI NOSTRI
Iesu Christi
VT CRUCIFIXAE MVNDO VINCATIS.



EX QVA SALVS ORTA MVNDI
EIVS ORTV SALVS NOSTRA.



IN DEVM PIENTIAS DOCEAT
MANVS AD PRÆLIVM



IN FIRMIS SERVIRE
FIRMISSIMUM REGNARE.




IN HOC VIRGILIS

ERGA AMICOS ET CONTRA INIMICOS
DEI.




NEC PRIVATAE REI CONSVLIT
QVI REIP. NON CONSVLIT.



SI HOC
VINCES

SILEAT FIGVRA IVDICII
LOQVATVR IVSTITIA.



11
12
13
14
15

Martinus Episcopi.
Pascenonius B. Marti.
Cassianus virgin.
Andree Apostoli.

Decembris.

6
7
8
9
10

Nicolaus Episcopi.
Andree Episcopi.
Conceptionis B. Marie.
Luce Virginis.

Septembris.

Martinus B. Marti.
Eusebii B. Cesar.
Mauri & Agathe Evangeliz.
Michaelis Archangeli.
Hieronymi confessoris.

Octobris.

Francisci confessoris.
Luce Evangeliz.
Simone & Iude.




Omnium
Communi
A. D.
A. D.
Die A.
Die P.
Die C.



DEO TVRRIM LINGVARVM STRVANT
COLVMNAE.





CARITATE
ET FORTI

VIGILANTIBVS,
TVDINE.



ELECTI
ELECTORI

HONOS
LAVS.

TANQVAM OMNIA POSSIDENTES,
ET NIHIL HABENTES.






ADMINISTRANT
NON CONTRAHANT FRATRES.




PRÆCEDAT LICENTIA,
SEQVATVR LEX.



PROHIBEAT OBSERVANTIA POENAS.



VALLETAE CIVITAS MONTE REPLETA.



CONCLUSIO STATVTOVM.

F. HVGO DE LOVBENX VERDALA.

NON intendit neque vult neque ordinat præfens capitulum generale, vt per huiusmodi renouationem, reformationem, & nouam Statutorum editionem superius descriptam aliquo modo directe vel indirecte in genere aut in specie dignitatibus & prærogatiuis alicuius cuiuscumque gradus fuerit derogetur & præiudicetur. Nos igitur auctoritate capitulari fungentes & ipsi ordinationi firmiter inhærentes, Sancimus, decernimus, statuimus, ordinamus, & expresse declaramus, quòd huiusmodi renouatio, ordinatio & noua editio Regulæ, statutorum, consuetudinum, & vsuum ordinis nostri, nullo pacto, quouis quæsito colore, præiudicium, damnum, alterationem, mutationem, variationem, mutabilitatem generet, aut generare seu afferre qualitercumq. possit gradibus, ordinibus, sessionibus, præfidentia, auctoritatibus, prærogatiuis, præheminentijs, Magistri, Ecclesiæ, Hospitalitatis, seu Infirmariæ, Communis erarii, Baiuliuorum tam conuentualium quàm capitularium, Priorum, Castellani empostæ, octo linguarum fratrum earum cuiuscumque gradus fuerint, scilicet Militum, Capellanorum, & Seruientium, ac Prioratum etiam collationibus, atque pactis, conuentionibus, & concordijs ratione dictarum collationum de gratia, per linguas, Prioratus, aut Castellaniam empostæ seu fratres earundem, cum Prioribus & Castellano empostæ ordinis nostri factis & initis. Quinimmo dictæ præheminentiæ, prærogatiuæ, & pacta super dictis collationibus, Priorum & Castellani empostæ facta sint & esse intelligatur atque remaneant realiter & cum effectu in eo statu & qualitate, robore, vigore quo erant ante huiusmodi renouationem, & nouam editionem ordinatam sub hac expressa restitutione & intentione, vt predictis propterea nullum generetur præiudicium.

Quas quidem leges & statuta supra scripta per nos accuratè ac diligenter lecta, considerata, & examinata, tamquam sancta & iusta ordinis nostri vtilia & necessaria per presentes in vim capituli generalis, laudamus, approbamus, acceptamus, & confirmamus, ac de nouo statuimus & condimus, deletis, reuocatis, cassatis, cancellatis, & annullatis, omnibus & quibuscumque alijs Statutis, Sgardijs & vsibus in antiquis statutorum nostrorum libris & voluminibus, scriptis & contentis. Declarantes nihilominus atque statuentes per hanc renouationem priuilegijs & immunitatibus ordinis nostri, aut dignitatibus, ordinibus, sessionibus, præheminentijs, & prærogatiuis, Magistri, Baiuliuorum, Priorum, Castellani empostæ, linguarum & fratrum cuiuscumque gradus aut conditionis fuerint nullo pacto præiudicium generari; vobis mandantes, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, vt dicta statuta supra scripta, & omnia in eis cõtenta perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruetis, illisq. fideliter pareatis & obtemperetis, ac pro legibus habeatis & seruetis, & haberi & seruari curetis. In cuius rei fidem & testimonium bulla nostra communis plumbea præsentibus est appensa. Datum Melitæ in contentu nostro durantibus retetionibus capituli generalis Die xxiiij. Mēsis Iulij. M. D. Lxxxiiii.

F. Didacus ab Ouando Vicecancellarius.